

culpa caret, eo ipso peccatum non fit. *Tantum est quod de libro 1. monendum duximus.*

Lib. II. c. 2

16. Succedit quartum membrum, quo tractatur: *An Petrus Romæ fuerit & per Annos 25. Episcopatum ibidem tenuerit.* Et si verò non usq; adeo certum sit, fueritne Petrus Romæ, nec ne, nobis tamen probabilius videtur eum, vel nunqã vel certè non ita diu illic fuisse, Cui nostræ sententiæ fundamenta subministrat 1. *Scripturæ silentium.* 2. *Chronologia.* 3. *Petri ac Pauli pactum Gal. 2, 4.* Circumstantiæ plures aliæ quas in Pauli Epistolis vel aliunde Romam, vel Româ aliò scriptis animadvertere licet.

17. Rationes adversarii, quas pro affirmante adducit, meræ ac futiles conjecturæ omnes sunt. Nam quod i. in i. Petr. ult. per *Babyloniam Romam* notari contendit, et si id suo loco non negamus, hic tamen nobis non fit verisimile. 2. Ante *Paulum* Evangelium Romæ prædicatum fuisse non diffitemur: Sed anne ideo à Petro? Ubi nam Evangelium suum *Marcus* scripserit, & quo dictante, dubium est atq; incertum. Eiusdè ponderis sunt quæ de *morte* Petri adfert h. e. extra scripturam dicuntur, & nõ nisi humanâ nituntur traditione. Quæ à *sepulchris* & *superstitiosæ plebis peregrinatione* ducuntur argumenta firma nõ sunt. 18. Por-

C. 2.

C. 3.